Quelle: http://manuscripta.at/?ID=543
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Beniamyn adolescentulus in mentis excessu. Audiant adolescentes sermonem de adolescente, evigilent ad vocem prophete. Beniamyn adolescentulus in mentis [excessu]. Qui sit beniamyn iste multi noverunt. Alii per scienciam, alii per experienciam. Qui per doctrinam noverunt audiant pacienter. Qui per experienciam didicerunt audiant libenter. Qui enim eum experiencie magisterio semel nosse potuit, fidenter loquor: sermo de eo quantumvis prolixus illum saciare non potest. Sed quis de eo digne loqui sufficiat? Est enim speciosus forma pre omnibus filiis iacob et qualem rachel generare decuit. Nam lya quidem quantumvis plures pulchriores tamen liberos habere non potuit. Duas enim ut legitis uxores iacob habuisse cognoscitis. Una lya, altera rachel dicebatur. Lya fecundior, Rachel formosior. Lya fecunda sed lippa, rachel fere sterilis sed formosa singulariter. Sed nunc que sint iste due uxores iacob videamus, ut qui sint eorum filii facilius intelligamus. Rachel doctrina veritatis, Lya disciplina virtutis. Rachel studium sapientie, Lya desiderium iusticie. Scimus Jacob vii annis pro rachel servisse et tamen videbantur ei dies pauci pre amoris magnitudine. Quid miraris

sui magnitudinem pulchritudinis. Erat magnitudo dulcoris. Certe si laudem sapientie aliquis temptare voluerit minus erit quicquid eciam dixero. Que sapientia ardencius diligitur, dulcius possidetur. Eius decor omnem superat pulchritudinem, eius dulcor excedit omnem suavitatem. Est enim ut ait quidam [speciosior] sole et super omnem stellarum disposicionem luci comparata invenitur prior. Illi enim succedit nox. Sapientia autem vincit maliciam. attingit ergo a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter. Hanc amavi inquit et exquisivi a iuventute mea et quesivi sponsam eam mihi assumere et amator factus sum forme illius. Quid ergo mirum si iacob in huiusmodi sponse amore flagrabat, si talis, si tante dulcoris flammas tolerare non poterat. O quantum amabat, o quantum in eius amore flagrabat qui dixit: super salutem et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam. Nichil enim ut dixi sapientia ardencius diligitur, nil dulcius possidetur. Hinc est enim quod omnes sapientes esse volunt, pauci tamen ad modum sapientes esse possunt. Nunquid de iusticia similiter dicimus? Nunquid eque iusti omnes esse volunt et iusti forte esse non possunt? Immo omnes iusti esse potuissent si esse iusti perfecte voluissent. Iusticiam autem perfecte amare est iam iustum esse. Sapientiam

De iusticia.